





Pri. 14. Brum. 1. 3.

1754, 8. 14

12

DISQVISITIO  
DE  
PECVLIARI INDOLE  
PERMVTATIONIS, QVOD AD  
TRADITIONEM ATTINET,

QVA

EMVNDI MERILLII HAC DE RE DOCTRINAM EXPENDIT,

ET SIMVL

ACROASES SVAS IVRIDICAS  
PER INSTANS SEMESTRE HIBERNVM HABENDAS

INDICAT

ET

AD ILLAS AVDIENDAS  
GENEROSISSIMOS ATQVE PRAENOBILISSIMOS  
COMMILITONES

PERAMANTER ET PEROFFICIOSE

INVITAT

IOANNES IVSTVS RAABE  
L. V. L.



MARBVRGI  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYP.

KÖNIGFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALLE

D125N12110

33



### §. I.

Permutationem inter omnes contractus onero- *Inter con-*  
sos familiam veluti ducere et in prima ho- *tractus o-*  
minum societate maiore valde necessariam *nervos*  
fuisse, notissimum est. Constat quoque *permutatio-*  
*cst anti-*  
inter omnes, quod iis in terrae tractibus, in quibus *quissum*  
vel ob auri argentiae defectum vel vilipendentiam  
propter id, quod alter abundabat, alter vero indige-  
bat, commercia incolarum in rerum permutatione  
constiterint.

### §. II.

De Satarchis Scythiae Europaeae populo refert *Quod plu-*  
*POMPONIVS MELA lib. 2. cap. 1. n. 85.* verbis: *auri et rimavum*  
*argenti, maximarum pestium, ignari, vice rerum com-* *gentium*  
*mercia exercent.* De Colchis in Asia testis est illustris *exemplis*  
*AVGERIVS GISLENIVS BVSBEQVIUS epist. 3. pag. 240.*  
*Vnum, inquit, inter se norunt commercii genus, per-*  
*mutationem; ergo, quo quisque abundat, in forum por-*  
*tat, ut permuteat cum eo, quo indiget.* Optimi suae ae-  
tatis legislatoris Lycurgi legibus Spartanis latis inser-  
tum legimus apud IVSTINVM, Trogi Pompeii histo-  
riarum Philippicarum epitomatorem, *lib. 3. cap. 2. in*  
*extremis: Emi singula, non pecunia, sed compensatione*  
*mercium, iussit: auri argenteique usum, velut omnium*

A 2

scelerum

#### 4 DE PECULIARI INDOLE PERMUTATIONIS

*scelerum materiam, sustulit.* Idem de Seribus, Scythiae Asiaticae populis, memoriae prodidit CAIVS PLINIVS SECUNDVS in hist. natur. lib. 6. cap. 22. Ait enim: *fluminis ulteriore ripa merces positas iuxta venalia tolli ab his, si placeat, permutatio.* De Tartessianis et Phoenicibus recte obseruauit ARISTOTELES, Peripateticorum ille philosophorum princeps, in libro *de mirabilibus auscultationibus* hisce verbis: τὰς περάτες τῶν Φαινίων ἐπὶ Τάρηστον πλέυσαντες λέγεται τοσθεον ἀργυρίου ἀντιφορίσασθαι ἔλαιον καὶ ἄλλον νάυτικον ρώπον, cet. id est, *Phoenicum primos, quam Tartessum nauigassent, pro oleo aliena nautica vili merce tantam argenti vim exportasse, ut armamenta nauium pleraque et ipsas etiam anchoras argenteas facere cogerentur.* Canit quoque hac de re PVBLIVS. VIRGILIVS MARO, in eclog. 4. v. 34. usque ad 40. et Georgicor. lib. 3. v. 305. usque ad 308. Conf. IACOBVS PERIZONIVS in dissert. de aere gravi, quam vide sis p. 396. seqq. vol. dissert.

§. IIII.

et docetur,  
in quibus  
region. bo-  
die perm.  
sit frequen-  
tissima.

Hinc ne miremur, quod apud remotores ab aliorum commercio gentes, veluti Lapones, Samoiedas et quam plurimos tum Asiae, tum Africæ et Ameri- cae populos, ob antiquam, cui reliætae sunt, simplicitatem hodienum, vel inuenio numo, maneat permutatio. Vid. EMUNDVS MERILLIVS. lib. 8. obserua- tio- num cap. 35. p. 312. Id enim mercatores huius tem- poris in dictos terræ nauigantes testantur.

§. IIII.

Quid de  
Germanis  
ratione per-  
mut. refe-  
rat C. Ta-  
citus.

Referendo id, quod de exteris gentibus memo- riae mandarunt scriptores veteres, et quod de qui- busdam adhuc nostra aetate nobis refertur; silentio fere transiisse, quae de maioribus nostris tradidit

COR-

QVOD AD TRADITIONEM ATTINET.

CORNELIUS TACITVS de morib[us] Germanorum, cap. 5.  
Verba eius digna sunt, quae notentur. Proximi in-  
quit, (i. e. Romanorum prouinciis viciniores Ger-  
mani), ob vsum commerciorum aurum et argentum in  
pretio habent, formaque quasdam nostrae pecuniae a-  
gnoscunt, atque eligunt: interiores (id est, Germani  
a Romanorum prouinciis remotiores) simplicius et an-  
tiquius permutatione mercium vtuntur.

§. V.

Iis autem in regionibus, quarum incolae argen- De iis gen-  
tum atque aurum magna adfectione animi secuti sunt, tibus penes  
illorum ope maximam commerciorum utilitatem pro- quas una  
motam esse obseruamus. Permutationem quidem in cum per-  
totum haud rejecerunt, licet huic emtionem vendi- mutatione  
tionem praetulerint. Quis est, quem fugit, gentem in venditio  
Iudaicam numquam fere auro argentoque destitutam agitur.  
fuisse? Rebus suis suum constituit pretium atque va-  
lorem, quem partim ex rerum praestantia, partim ex  
hominum opinione aestimauit, illasque, ut occasio  
tulit, iam cum alterius rebus permutauit, iam ap-  
penso vel dato numo emit. Et quamvis facer codex  
modum permutationis, quem gens Iudaica in permu-  
tatione adhibere fuit solita, nobis haud reuelauit; li-  
quet tamen ex antiquissimo eius scriptore Iobo,  
XXVIII, 17. et Ezechiele XXXXVIII, 14. quod pe-  
nes illam gentem et emtio venditio et permutatione  
contraictus fuerint frequentissimi. Maiores nostri idem  
suo confirmant exemplo. Quamdiu enim vendendarum  
et emendarum rerum commutatio ope numerorum illis  
ignota, tamdiu tantummodo rerum permutatione ipsis  
familiaris fuit. Huius rei testem habemus CORNE-  
LIVM TACITVM l. d. . Quum vero post haec tempora

A 3

aliquam

## 6 DE PECULIARI INDOLE PERMUTATIONIS

aliquam pecuniae cupiditatem conceperunt, et a vicinis, in primis Romanorum populis, humorum in commerciis usum didicerunt Germani, scite obseruabant, emtionem venditionem atque permutationem non esse unum eundemque contractum. Exemplo sint lex *Wifigothica lib. 5. tit. 4. §. 1.*, lex *Baiuvariorum tit. 15. §. 8.*, lex *Salica tit. 39.*, lex *Ripuariorum tit. 74.* et lex *Alamannica tit. 39.*

### §. VI.

*Romanorum bac ignorantiam atque inconsiderantiam non stuparet. Hic populus eo tempore, quo ut turba incondita et extorris patria hominum colluicies coaluit, omne commercium in permutatione habebat, dum, quod aliis affatim erat, et supererat, aliis deerat, aut propter cupiditatem seu libidinem, aut necessitatem commutabatur. Huius rei si quis testimonium exspectat, euole, docetur, ut quaeſo CAIVM PLINIVM SECUNDVM in his tor. natur. lib. 33. cap. 1. et haec leget verba: „quantum felicio, „re aeuo, cum res ipsae permutabantur inter se, sicut „et Troianis temporibus factitatum, Homero credi „conuenit. Ita enim (ut opinor) commercia vietus „gratia inuenta. Alios coriis boum, alios ferro capitiisque rebus emititasse tradit: quanquam et ipse miratus, aurum aestimationes rerum ita fecit, ut centum boum arma aurea permutassem Glaucum diceret cum Diomedis armis nouem boum. Ex qua consuetudine multa legum antiquarum pecore constat, etiam Romae.“ Licet igitur bella, quae cum vicinis gesserunt gentibus Romani, occasionem praebeuerint, auri argenteique in commerciis praefstantiam intuendi. Licet Graecia, felicissimus ille tractus, Romanis*

## QVOD AD TRADITIONEM ATTINET. 7

Romanis ipsis, rerum dominis, dominandi artes ac retinendi docuerit, et leges et mores ritusque agresti adhuc Romae impertita sit, non tamen illa aetate obseruarunt, emtionis venditionis a permutatione naturam vere esse diuersam.

### §. VII.

Nec excusatione quadam maiorum suorum *i. et simul oī* ignorantiam et inconsiderantiam iure explere potuerunt Romanorum posteri, qui sectarum *Graco-* *rūmentio-* inter *ICtos* *nem inter-* tempore suam inter mortales degerunt vitam. Etenim *Graecos*, *quorum*, *vt inter omnes constat*, *le-* *et permu-* *ges petierunt missasque acceperunt Romani, emtio-* *tat. diffe-* *rentias au-* nem venditionem atque permutationem a se inuicem *getur*. Scite separasse, certum habemus, quamuis id expressis verbis ex HOMERO, Poëtarum omnium Graecorum praestantissimo, aliisque rerum Graecarum scriptoribus, haud instruimur. Liquet tamen, tum ex illorum collatione, tum intentione. Verba enim, quae canit HOMERVIS *Iliad. n. V. 472. seqq.* haec sunt:

Εὐθεν ἔρ οὐνίζοντο καρηκομόωντες Αχαιοί,  
Αλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δὲ ἀθοντισθέα.  
Αλλοι δὲ ρίνοις, ἄλλοι δάνταισι. βόσσουι,  
Αλλοι δὲ ἀνδραποδεσι.

Id est,

Inde vinum emebant comantes Achiui,  
Alii quidem aere, alii autem splendido ferro,  
Alii autem pellibus, alii vero ipsis bobus,  
Alii demum mancipiis.

Sed hisce versibus solam permutationem, uti Paullo in L. I. §. I. D. de contr. emt. visum fuit, non denotari, ex sequentibus satis appetet. Quamuis illa aetate inter Graecos in vsu non fuit numerus signatus, non

## 8 DE PECVLIARI INDOLE PERMVATIONIS

non tamen est, quod negem, in commerciis aurum  
argentumque fuisse appensum. Nam ponderis vo-  
cabulum, nimirum talentum et quidem appensum  
apud HOMERVM passim legitur, v. gr. *Iliad.* 1., §. 122.  
et 264., *Iliad.* 6. §. 507. *Iliad.* 7. §. 247., *Iliad.* 9. §.  
269. et 614., *Iliad.* 10. §. 232. Si igitur appensum  
fuit aurum atque argentum pro re ab altero accepta,  
preium definitum habemus, ideoque et emtionem  
venditionem. Etenim penes complures populos,  
antequam numos suos designarunt, vsu receptum fuis-  
se, vt, si quid emerent, aurum argentumue appen-  
derent, vel ex sacra historia satis constat. Quid?  
quod de ipsis Romanis idem refert CAIVS PLINIVS SE-  
CVNDVS l. d. lib. 33. cap. 3. „Populus Romanus, in-  
„quit, ne argento quidem signato ante Pyrrhum re-  
„gem deuictum vsus est. Libralis, vnde etiam nunc  
„libella dicitur, et dipondius appendebatur assis.  
„Quare aeris grauis poena dicta. Et adhuc expensa  
„in rationibus dicuntur: item impendia et depende-  
„re. Quin et militum stipendorum, hoc est stipis  
„ponderandae pensatores, libripendes dicuntur: qua  
„consuetudine in his emtionibus, quae mancipii sunt,  
„etiam nunc libra interponitur. Seruius rex primus  
„signauit aes. Antea rudi vsos Romae Remeus tra-  
„dit.“ Illi igitur ex Achiuis, qui vinum sibi aere  
comparabant, non permutasse, sed potius emissae dici  
possunt. Ceteri vero Achiuorum non nisi permutationem  
verba HOMERI, quae habet *Iliad.* 2. §. 234. seqq., si-  
gnificare, quis est, qui dubitaret? canit enim:

Ἐνθ' ἀύτε Γλάυκω Κρονίδης Φρένας εὔσλεπτο Σέυς,  
Οὐ πρὸς Τυδειόν Διορῆγεα τεύχε ἀμείβει,  
Χρύσεα

QVOD AD TRADITIONEM ATTINET. 9

Χρύσεα χαλκείων ἐκπόμποι ἐννεαβοῖοι.

Id est,

Tum vero Glauco Saturnius mentem ademit  
Iupiter,

Qui cum Tydide Diomede arma permutoauit,  
Aurea aeneis, centum boues valentia nouem  
boues valentibus.

Haec si attenduntur, c. PLINIUS s. l. d. lib. 33. cap. I.  
rationi datae non occurrit, hoc licet existimauerit  
EVERARDVS OTTO in commentar. ad Institut. ad §. 2.  
de emt. vendit. Praeterea sententiam meam ISOCRATIS,  
maximi illius Graecorum rhetoris, verbis, quae in  
initio eius orationis secundae ad Nicoclem leguntur, val-  
de corroborari existimo. οἱ μὲν ἑιωθότες, γράφει, ὡ  
Νικόλεις, υἱοὶ τοῖς βασιλέωσιν ἐδῆταις ἦγεν, ἡ χαλκοῦ, ἡ  
χρυσὸν ἔργασμένον, ἡ ἄλλη τὰ τοιάτῳ χειριστῶν, ἣν ἀντὸς  
μὲν ἐνδεεῖς ἔισιν, υἱεῖς δὲ πλευτεῖς: λίαν ἐδοξαν ἔναις μοι κα-  
ταφανεῖς, δόσιν, ἀλλ' ἐμπορίαν ποιέμενοι, καὶ πολὺ τεχνικάτερον  
αὐτὰ πωλεῖντες τὰν ὁμολογεύντων κατηγορεύειν. Id est, qui vobis  
regibus, Nicocles, aduehere vestes solent, aut aës, aut aurum  
factum, aut aliquid aliud eius generis, quo et ipsi egent,  
et vos abundatis: hos, ut mibi quidem videtur, plus  
satis appetit, non largitionem facere, sed mercaturam:  
suasque res multo callidius vendere, quam eos, qui ex  
professo cauponantur.

§. VIII.

Haec quum ita sint, et licet Romani, qui legum stru- *Hinc ar-*  
turam, ipsis necessariam, formare nescierunt, sed *gumentum*  
hanc ob caussam quibusdam ex suo ordine negotium *ad Roma,*  
dederunt, ut ad petendas leges in Graeciam se *nos duci-*  
ferant, has precando obtinuerint, nihilo tamen  
secius, tum ex suis moribus solis, tum ex horum

B

cum

## 10 DE PECULIARI INDOLE PERMUTATIONIS

cum legibus, quas Graeci ipsis suppeditarunt, coniunctione, nescierunt, num permutatio emtioque venditio contractus sint inter se diuersi, L. I. §. 1. D. de contr. emit. . Eiusmodi sententiam de illis ferendi cuique praebet sana ratio, quod, CHRISTIANO THOMASIO *in naevis iurisprudentiae anteinstitionae*, pag. 159. adsentiente, Romanorum iudicium prae aliis gentibus maximam illis temporibus imperfectionem atque inconsiderantiam sapuerit. At quum viri iuris peritia maxime conspicui graues perplexasque iuris quaestiones aliis ICtis solerent proponere, rationesque suas eum in finem allegare, emerserunt demum inter diuersas ICtorum familias controuersiae, vtrum, si res pro re datur, emtio venditio sit, an permutatio?

### §. IX.

*Curbi post-  
ea pecu-  
liarem in-  
dolem per-  
mutationem.  
quod ad  
traditionem.  
excogita-  
rint?*

Hoc occasionem praebuit, vt id aetatis ICti ex suo more, subtilitate excogitata, differentias non paucas permutationem inter et emtione venditionem introduxerint. Reliquis palmarum pracripiunt eae differentiae, quae de traditione eiusque diuerso inde nato effectu agunt. Haec est cauſa, cur apud animum constitui, peculiarem indolem permutationis, quod ad traditionem attinet, commoda hac occasione breui illustrandi.

### §. X.

*Quale fit  
permuta-  
tionis no-  
men? et  
quod in iu-  
re Romano  
non semper  
idem signi-  
ad tit. C. de rer. permut. L. I. p. 842.*

Permutationem haud gerere nomen iuridicum, constat ex L. I. §. 2. D. de rer. permut. inter omnes; sed grammaticum aut vulgare illud esse, iam peruidetur IACOBVS CVIACIVS *in paratitlis* C. de rerum permutat. et HERMANNVS VVLTIVS *in iurisprud. Romana* §. 2031. seqq. Adde 10. IACOB. WISSENBACHIVM et em-

## QVOD AD TRADITIONEM ATTINET. II

et emtionem et locationem, immo et diuisionem et *ficit*, pro  
dotem sub se complectitur, quorum exempla habe-*batur*.  
mus in L. 20. §. 3. D. fam. ercisc. et L. 77. §. 18. D.  
*de leg. II.* Interdum cum contractu do ut des con-  
funditur, prout factum est in L. 5. §. 1. D. de *praescr.*  
*verb.*, quem promiscuum usum huius vocis abusui et  
primaevae Romanorum inconsiderantiae tribuendum  
esse censeo.

### §. XI.

Est autem *permutatio*, si ab impropria eius signi-*Illius defi-*  
ficatione abstinemus, contractus innominatus, bonae*nitio et ef-*  
fidei, §. 28. I. de *aet.*, quo species certa definitaque*fentia*  
datur, ut accipiens pro ea vicissim aliam det, L. 1.  
§. 1. 2. et 3. D. de *rer. permitt.* Huius contractus *ef-*  
fentia, vti vocant, consensus, certa atque defini-  
ta species et traditio constituant.

### §. XII.

*Traditio*, quum consideratur, tamquam modus ad *Quid sit*  
quirendi dominii, seu quando a legum interpretibus *traditio?*  
nonnuda vocatur, est *datio possessionis vacuae*, L. 3. §.  
I. D. de *aet. emit. vend.* Verbum *dare*, in sui pro-*et quid rō*  
prietate sumptum, adfert dominii translationem, §. 14. *dare?*  
I. de *aet.*, L. 167. pr. D. de *div. reg. iur.*, L. 16. D.  
*de cond. caus. dat. caus. non sec.*, L. 75. §. 10. D. de  
*verb. obl.* Si vero τῷ *dare* διέτο adiungitur, quae ex  
sua natura dominii translationem non admittit, verbi  
caussa, quum de precario, commodato, vel locatio-  
ne sermo est, impropriè accipitur, et non nisi transla-  
tionem possessionis a naturali possessore vacuae deno-  
tat, L. 4. pr. D. de *vfur.*

### §. XIII.

*Possessio enim vacua ex subtili iure Romano est* *Quid sit*  
B 2 vel

## 12 DE PECVLIARI INDOLE PERMVTATIONIS

possesso va- vel simpliciter, vel secundum quid talis. Illam dico,  
 cuia et quo- quae ab omni possessore, tum naturali, tum ciuili, va-  
 tplex? cuia est, seu, vt HVGONIS DONELLI verba, quae ha-  
 bet de iure ciuili lib. 4. cap. 19. p. 145. a. mea faciam, quae  
 ab alio nullo possidetur aut tenetur iuste: puta, quam ne-  
 mo aliis possidet b. f., atque adeo cuius in possessione  
 nemo est pignoris caussa, siue legatarius, siue credi-  
 tor, siue venditor, L. 2. §. 1. et L. 3. pr. D. de act.  
 emt. vend. Per hanc autem, scilicet secundum quid  
 talem, eam intelligo, quae a ciuili possessore tantum  
 est vacua, licet ab alio naturaliter possideatur. Sim-  
 pliciter talis vt praestetur, necesse est, quum ex sua  
 parte contractui quis satis vult facere, d. L. 2. §. 1. D.  
 et L. 8. C. eodem; sed ad dominium transferendum ex  
 communi ICtorum sententia vacuam possessionem se-  
 cundum quid talem sufficere arbitror. Fallitur ita-  
 que ARNOLDVS VINNIUS in partitionibus iuris ciuil-  
 lib. 1. cap. 20. p. 56., qui vacuam possessionem sim-  
 pliciter talem cum ea, quae fit secundum quid, te-  
 mere commiscuit. Ratio haec est. Qui dominium  
 in alterum ex iusta caussa per traditionem transfert,  
 ipsum constituit possessorem ciuilem, ita, vt tertius,  
 qui rem detinet, illam tantum naturali iure possideat,  
 nec prohibere possit eum, in quem dominium est  
 translatum, quo minus cum proprietate, quam tra-  
 ditione est consecutus, coniungat possessionem natu-  
 ralem. Ergo GERARDVS NOODT in operibus ad lib.  
 19. tit. 1. D. de act. emt. vend. ad L. 52. §. 1. D. de  
 verb. obl. vltima verba doce adnotauit, quod res ita  
 tradi deberet, vt traditio ei, cui traditur, sit caussa  
 bonorum, siue caussa, qua fit, vt res tradita in bo-  
 nis eius habeatur, quod cum fieret, si ei liceret, illam  
 ita

## QVOD AD TRADITIONEM ATTINET. 13

ita habere, vt alii non liceat eam auferre, illo iniuto, L. 52. D. de adqu. rer. dom. Quum vero effectum obligationis quis spectat, non est, quod recedamus a regula nobis praescripta, quod nimurum possessio- nis vacuae stipulatio obligationem illam absolute tra- dendam operetur, d. L. 52. §. 1. D. de verb. oblig. et L. 4. pr. D. de usur. IOANNES HENRICVS DE BERGER in oeconomia iuris, lib. 2. tit. 2. §. 18. not. 3.. Haec est cauſa, cur dominium transfertur in accipientem, si fit a domino ex iusta cauſa et animo transferendi il- lud, L. 20. pr. D. de adqu. rer. dom. Iusta cauſa est ti- tulus ad transferendum dominium habilis.

Quando  
dominium  
transfера-  
tur?  
et quid sit  
iusta cauſ-  
fa?

### s. XIV.

Hac tributam esse permutationem inter alios defen- In permu- derunt IOANNES NICOLAVS HERT in diff. de conventioni- tatione per bus dominii translatiis §. 3. n. 2., quam vide sis L.B. in Vol. traditio- I. Tom. 3. opusculor. pag. 44. seqq. et IOAN. ORTW. WE- nem domi- STENBERG in operib. iurid. Tom. II. ad tit. D. de ad- nium fla- quir. rer. dom. §. 149. Hoc enim in contractu, qui ferri, pro- conuentione traditioneque speciei promissae ab altera batur. saltem parte perficitur, teste HVGONE DONELLO de iure ciuili lib. 12. cap. 10. p. 576. b. et cap. 12. p. 580. b., per traditionem hac ex cauſa factam statim transfer- tur dominium in accipientem, licet hic ex sua parte contraētum non adimpleuerit, nec ipsi de re promis- sa vicissim danda fides habita fuerit, arg. L. 4. C. de rer. perm. Haec quia non attendit EMVNDS ME- RILLIVS, obseruat. lib. 2. cap. 13. et lib. 5. cap. 6. ad illam plane singularem sententiam iuit, quod in per- mutatione dominium transferri necesse non sit. Hoc in contractu rem tradi oportere, vt contractus per- ficiatur, et in venditione ad consummandum, vt IC-

torum

B 3

## 14 DE PECULIARI INDOLE PERMUTATIONIS

torum verbo utar, contractum, traditionem requiri, valde ipsi adsentior. Verum enim vero alias traditionis est effectus in permutatione, et alius in venditione, quod ex sequentibus sum potissimum comperthus. Nam non tantum in L. 1. §. 4. D. de *rer. permuat.* sancitum lego, quod, si accipiens, altera ex parte traditione facta, rem in contractum permutationis deducetam vicissim tradere nollet, agat is, qui ex sua parte adimpleuit contractum, *actione personali*, nimurum conditione causa data causa non secuta; sed et imperator in d. L. 4. C. eod. expressis constituit verbis, si res, quam alter permutantium dedit, ab accipiente, qui nondum adimpleuit contractum, alicui fuerit vendita, *nullam conuenire actionem* ad rem a tertio possessore reuocandam in eum, qui permutationem solus adimpleuit, sed tantummodo actionem contra eum dari, qui ex causa permutationis rem datam accepit, et quidem, si stipulatio intercessit, actionem ex stipulatu; sin illa fuit intermissa, actionem praescriptis verbis, vt vel fides placiti seruetur, vel, quod datum est, ob causam non secutam restituatur, ei dari, qui permutationis contractum sua ex parte iam adimpleuit. Haec omnia, quae de hisce actionibus, quae occasione permutationis dantur, dicta et sancita sunt, sic se non haberent, si, vt in emtione venditione, dominium rei traditae vna cum ipsa traditione in alterum permutantem non transiret. At, quia recta transit, nec contra ipsum permutantem, nec contra tertium rei permutatae possessorem ei, qui ex permutationis causa hanc rem dedit, talis datur actio, qualem ex dominio fluentem habent domini.

§. XV.

## §. XV.

Hinc etiam si res, quam dedit permutans, et in Hanc ob  
cuius locum aliam ab altero permutante promissam caussam res  
non accepit, in accipientis bonis bonorum conturba- ex permut.  
torum tempore extiterit, vindicari tamen arg. dd. LL. caussa  
a dante nequit, sed res potius hastae subiicitur, et ei, bonis deco-  
qui ipsam ex caussa permutationis dedit, suus inter toris vir-  
chirographarios adsignatur locus. dicari ne-  
quit.

## §. XVI.

Quam maxime corroborantur ea, quae modo de domino in permutatione per traditionem in accipientem statim transferendo dicta sunt, L. 1. §. 3. D. de rer. per caussa per-  
mut., in qua sancitum legimus, quod alienam rem dan- mut. tra-  
do, antequam alter contrahentium rem propriam de- dere non  
dit, permutatio non contrahatur ab eo, qui illam ex possum,  
sua parte adimpleuit, adeo, ut neque hac in specie nec banc  
actio praescriptis verbis detur, vti ex d. L. 1. §. 3. rem acci-  
cum §. 4. coniunctione apparet, neque euictio fit pienti actio  
praestanda, quoniam in d. L. 1. §. 3. ejusmodi con- praescript.  
traetus, quod ad effectum, ipso iure declaratur nullus, verb. da-  
tur, neque prescriptioni ordinariae locus detur. Haec nec praescript.  
enim iustum requirit titulum, seu caussam ad domi- or-  
nium transferendum habilem, L. 5. C. de praescr. lon- din. illam  
gi temp., quae bac in specie ipso iure nulla declara- suam fac-  
tetur, et hic iustae caussae defectus quoque impedit, re potest.  
quo minus accipienti actio publiciana detur, L. 13.  
pr. et §. 1. D. de public. in rem act. Sed qui ignorans  
rem alienam accepit ab eo, cui rem propriam ex per-  
mutationis caussa antea iam dedit, quoniam contra-  
etus rei propriae datione perfectus fuit redditus, hanc  
rem alienam usucapere, et, si euincatur, actionem in  
factum contra illam dantem intentare potest, L. 1. §. 1.  
D. et

## 16 DE PECULIARI INDOLE PERMUTATIONIS

*D.* et *L. i. C.* de *rer. permuat.* Conf. IOANNES VOET in comment. ad Pandect. ad hunc tit. §. 2. Iam vero quum permutationis contractus prius perfectus dici nequeat, nec ullam ex iure Romano actionem producat, quam ex una saltem parte rei propriae traditio fuit facta, sequitur, ut is, qui huic contractui satis vult facere, ad transferendum dominium per traditionem vacuae possessionis, secundum quid talis, sit obstrictus. Hinc qui rem alienam ex permutationis causa dedit, antequam accipiens rem propriam promissam vicissim dedit, permutationem vere non contraxit, *L. i. §. 3.* *D. de rer. permuat.* Quoniam igitur aliud ratione rei alienae traditae in venditione, et aliud in permutatione sanctum legimus, haud licet cum laudato MERILLIO a venditione ad permutationem argumentum hac in causa depromere. Nec, quod habet Paullus in *L. i. §. 1. D. eodem*, et a MERILLIO *l. d. communis* *Ctorum scholae* fuse lateque iniicitur, contra veritatem dominii in permutatione transferendi resistit nec repugnat. Interpretatione sua docte hoc explicit IOAN. NICOLAVS HERT in diff. de conventionib. dominii translatiis, §. 11. Adde IACOBVM CVIACIVM in observationib. et emendat. lib. 23. cap. 28. p. 802. Ex modo dictis hanc struo regulam: permutatio, ut effectus inde oriatur, non nisi ab utroque domino fieri potest. Conf. EVERARDVS OTTO in Tom. IV. thesauri iuris Romani, p. 766.

## §. XVII.

*Ideo facta tradit. in permuat. dominium referuari nequit,* Nemini igitur de iis, qui in theoria iuris Romani sunt peritissimi, integrum est, docere, quod dans, donec accipiens rem suam promissam vicissim tradiderit, rei suae ex permutationis causa iam traditae, prout

prout in emtione venditione moris est, dominium sibi reseruare queat. Hoc in contraētu ad rem promissam et accipiens vicissim dandam ob dominium per traditionem rei promissae in se translatum, obligatur accipiens, et is, qui suam rem promissam iam dedit, adigi nequit, vt accipiendo id, quod sua interest, citra voluntatem suam, re promissa adhuc exstante, adquiescat, *L. 5. §. 1. D. de praescript. verb. Conf. LÜDER. MENCKEN in synopsi theoriae et praxeos Pandect. ad tit. de rer. perm. §. 6. in fine.*

## §. XVIII.

Adhuc alium in permutatione ex traditione natum *Quid iuris*, habemus effectum. Quum enim res ab altero permutteretur, iam tradita perierit, antequam ab accipiente species promissa vicissim praestita fuerit, hic tamen nihil feciis, quoniam sibi, qua domino, dicta res tradita periret, ut et ex sua parte contraētum initum adimpleat, ta? actione praescriptis verbis conueniri potest, dummodo ne aetoris dolus vel culpa lata concurrat. Et, si penes accipientem ea res, quae ex permutationis caussa vicissim est danda, ante ipsam traditionem, citra vllum eius dolum culpamue, qui eam sibi vicissim promittere curauit, perierit, hoc periculum non sentit is, qui primus rei promissae traditione adimpleuit contraētum. Hic igitur actionem praescriptis verbis intentare potest contra eum, qui rem datam accepit, vt praestet id, quod aetoris interest, rem non periisse, vel, si maller, id, quod dedit, repeatet condicione caussa data caussa non secuta, quamvis in omnia alia it *WOLFGANG ADAM LAVTERBACH in collegio theoret. pract. ad tit. de rer. perm. §. 28.*

## §. XVIII.

Iam vero quum ex *L. 13. §. 1. D. commod. rei commodum* ad eum non pertinet, ad quem non spectat periculum,

C

culum,

18 DE PECVLIARI INDOLE PERMVTATIONIS

rei permu-  
tatae sit  
sentien-  
dum?

culum, et, qui sentit onus, sentire quoque debet rei commodum, cap. 55. de R. I. in 6., consequens est, ut commodum, et accessiones rei ex permutationis causa iam traditae ad ipsum pertineant accipientem, licet hiceo tempore, quo accederat commodum, contraetum ex sua parte nondum adimpleuerit, dummodo post haec rem suam vicissim promissam tradiderit. Et e contrario is, qui ex sua parte iam adimpleuit contractum, non percipit rei commodum, quod ante traditionem ab accipiente vicissim praestandam illi accedit, nisi colum accipientis hac in specie probauerit.

§. XX.

Cui sint  
fructus rei  
permuta-  
tae, qui vel  
post tradit.  
percipiun-  
tur?

Quod ad fructus rei promissae hoc in contractu attrinet, neuter permutantium ante rei sibi promissae traditionem illius fructus pendentes sibi tribuere potest, quoniam traditione detiae, qui vel cum hic perficitur contractus, ante huius perfectionem autem, vel tem rei in ipsum deductae nulli debentur fructus. Nam perfectio dat formam contractui, qua suam adipiscitur essentiam, ita, ut prius non existat, neque efficax sit ad agendum, quam perfectus redditus fuerit. Quum igitur accipiens rei, quam sibi promittere curavit, fructus initio contractus tempore pendentes pariter cum re suo velit facere, hos, si eam promittens statim non tradiderit, antequam separati fuerint a suo corpore, ex quo prouenerunt, ex praescripto legum petere nequit, nisi separatim fuerint promissi.

§. XXI.

An, et quea-  
mora in  
permut. sit  
praefan-  
da?

Insuper ex natura traditionis, quae permutationis contractum perficit, adhuc alium natum. videmus effectum ratione praestationis morae. Alter enim permutantium, si post acceptam rem non vicissim praefat eam, quam promisit, siue hanc plane non tradendo, siuet tradendo, attamen alienam, in mora quidem constituitur, at quia hoc in contractu ex una parte traditione facta, si alter rem promissam tradere nolit, non agitur actione praescriptis verbis ex permuto ad praestationem usurarum, nec ad id, quod tradentis interest, illam rem acceperit, sed vt res tradita tradenti reddatur, coadiutoria causa data causa non secura intentatur, L. 1. §. 4. D. L. 4. in fine et L. 7. in fine C. de rer. permut. Sin vero is, qui ex permutationis,

QVOD AD TRADITIONEM ATTINET. 19

tationis caussa speciem promissam accepit, traditionem ex sua parte non plane recusat, sed tantummodo differt, non est, quod quis dubitet, quin obseruanda sit *L. 5. §. 1. D. de praescr. verb.*, quae alias obstat videbatur modo dictis *LL.*, quod scilicet actoris efflagitatione reus condemnari possit, ut praefestet omne id, quod illius interest, rem statim accepisse.

§. XXII.

Denique laudatis effectibus vnicum dumtaxat adiungam. *Quid sit Fingam*, eamdem speciem ex caussa permutationis duobus obseruand. esse promissam et vni ex his traditam, hic eius dominium est si res duob. consecutus; ille vero, cui tantummodo eadem species est pro- ex caussa missa, si ante traditionem alteri debitam ex sua parte contra- permutati etum haud consummavit, quoniam contractus inter hos pa- promissa et ciscentes nondum est perfectus, sed vi pactum de permutan. vni ex his do solum consideratur; ex iure Romano nulla gaudet actione, tradita? quia id, quod sua ob. rem ex caussa permutationis promissam, at non tradiram, interest, impetrare possit.

§. XXIII.

Praemissis iis, quae de peculiari permutationis indole, *Ius Germanicum* quod ad traditionem attinet, ius civile Romanum habet, et argumento eius deducitur; iam breui huic adiectam disquisi- banc pecu- tionis quaestionem: numis in regionibus atque locis, in qui- liarem per- bus Romanum ius subsidiarium solum habetur, et Germani- mutat, in- cum praecillo floret, dicta traditionis in permutatione indoles indeque nati effectus obseruantur. Maiores nostri, vel post dolem non receptum ius Romanum, inter permutationis contractum et curare ad- eum, quem vocamus do ut des, Romanorum distinctionem firmatur.

numquam curarunt; quemadmodum etiam patrium ius inter contractus nominatos et innominatos nullo tempore quamdam adhibuit distinctionem, vti IOANNES NICOLAVS HERT ad paroem. 8. §. 5. Vol. 2. Tom. 3. opusculorum pag. med. 268. ex auctoribus ibi laudatis recte obseruauit. Haec est caussa, cur permutationis penes Germanos eadem vis sit et firmitas, quam in Romano iure emtioris venditionis contractui attributam legimus, quod inter alios docuerunt laudatus HERT l. d. Vol. 2. Tom. 1 pag. 213. et IOANNES FRIDERICVS POLAC in system. iuris prud. ciuil. German. antiqu. lib. 2. cap. 14. §. 1. in extremis. Hinc

cx.

20 DE PECULIARI INDOLE PERMVTAT. CET.

ex permutatione non nascitur talis actio, qualem ex iure ciuili contractus innominati producunt, sed talem intentamus actionem, qualem habent ex nominato contractu ortam Romani. Haec quum ita sint, non est, quod in foris nostris Romanorum peculiarem permutationis indolem, quod ad traditionem attinet, et inde natos effectus anxi attendamus. Iccirco quamprimum de rebus inter se inuicem vicissim permutandis conseruent Nostrates, contractum dicimus perfectum, nec, vti olim, in rerum immobilium aliarumque alicuius momenti permutatione scripturam testiumue praesentiam hodieum desideramus. Vid. IOANN. FRIDERICVS EISENHART *in institut. iuris Germanici*, lib. 3. tit. 7. §. 4., nec poenitentiam, si alter contrahentium ex sua parte nondum consummavit contractum, concedimus, nec ex pacto de permutandis rebus inito actionem denegamus, nec denique contra eum, qui ex sua parte contractui satis nondum fecit, conditionem caussa data caussa non secuta damus. Et, ne dicta repetam, breve dicam, in omnibus fere Maiores nostri emtioni venditioni, quod ad firmitatem etiura attinet, aequipararunt permutationem, vti ex horum legibus doceo vidit et animaduertit IOANN. GOTTLIEB HEINECCIUS *in elem. iuris Germanici*. Tomo I. lib. 2. tit. 14. §. 392.

g. XXIII.

*Inuitatio  
ad acro-  
ses proxi-  
me in-  
choandas.*

Sufficient haec, et quoniam animum induxi, vt per instantem hiemem Themidis sacris initiandi totius legitimae scientiae prima elementa, quae in Institutionibus contineantur, publice explicem. Dabo operam, vt GENEROSISSIMIS ET PRAE-NOBILISSIMIS COMMILITONIBVS, qui institutioni meae se committere volunt, hora XI. ad ducentum v. c. IO. GOTTLIEB HEINECCIU<sup>m</sup> perspicuitatem, quam verba, et verba, quae res desiderat, traderem. Addam insuper priuatim singulis Mercurii atque Sabbati diebus hora II. pomeridiana collegium, quod vocant, examinatorium. Si qui sint honoratissimorum commilitonum, operam meam in iure Germanico vel iurisprudentia feodal<sup>i</sup> desideratur, lubens hac in parte omnem operam diligenteriamque meam ponam. Initium mearum acroasium e valuis Academiae significabo. Dabam Marburgi XVII. calend. Nouembr. MDCCLIII.



Marburg, Diss., 1753-55

ULB Halle

005 034 817

3



TA → OL

MW 1 + 10 Shill





Pr. 14. Br. 173a  
1754, 8. 14

ISITIO  
E  
I INDOLE  
IS, QVOD AD  
L ATTINET,  
A  
RE DOCTRINAM EXPENDIT,  
IMVL  
AS IVRIDICAS  
HIBERNVM HABENDAS  
CAT  
VDIENDAS  
PE PRAENOBILISSIMOS  
ITONES  
PEROFFCIOSE  
TAT  
STVS RAABE  
L.  
VRGI  
I MÜLLERI, ACAD. TYP.  
ENFRIED  
IVERS.  
HALIE